



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die tertia Meditatio secunda. De iudicio particulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

gnarus, se ad supremum supplicium, ad patibulum, ad rotam educi.

Elige itaque ex his binis mortis generibus illud, quod magis placet, vel primum, nempe mortem iustorum; vel secundum, nempe mortem peccatorum. Sed scito, si desideras & eligis illam, vivendum erit tibi sanctè, piè, justè, prout exigit status Ecclesiasticus; nam sanctè & piè non moritur, qui sanctè & piè non vixit. Itaque propone & seriò promitte Deo tuo impostertum te sanctam & piam vitam, ut sanctos, id est, Ecclesiasticos decet, ducturum; simul ora & roga, ut tibi concedat gratiam sanctè moriendi, & vitam felici morte claudendi.

Omnipotens sempiternus Deus, qui humano generi, & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti, respice propitius me famulum tuum, & animam refove, quam creasti, ut in hora exitûs illius, absque peccati macula tibi creatori suo per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dies tertia

Meditatio sexta.

De iudicio particulari.

Peractâ solitâ oratione præparatoriâ meditationi præmittes duo sequentia præludia.

Ia

In primo pones tibi ob oculos Divinum judicem eo modo, quo in Apocalypsi c. 20. D. Joanni repræsentatus est: nimirum candidissimo, & Majestatis pleno throno insidens, luce candidâ circumdatus; quod denotat sapientiam, puritatem, & integritatem hujus divini judicis. Imaginare tibi, coram hoc tribunali animam tuam fisti illo ipso momento, quo separatur à corpore, omnibus terrenis voluptatibus, & solatiis, quibus tam avidè se eousque ingurgitaverat, spoliatam, in medio inter Angelum Custodem, & dæmonem constitutam, binos comites, qui eam ad severum justitiæ tribunal sequantur judicandam, folis stipatam operibus in vita perpetratis bonis, quàm malis, velut peditæquis: *Opera enim illorum sequuntur illos, Apoc. c. 14.*

In secundo rogabis Deum, ut salutari timore districti & tremendi judicii Divini concussus, viribus omnibus adnitaris peccata commissa per seriam pœnitentiam dele-re, & multiplicatis piis operibus expiare, nam hac unicâ viâ à Divino judice faventem tibi sententiam obtinere poteris. Vere hunc in finem verbis illis Ecclesiæ: *Juste judex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis: vel verbis illis Psalmi 118. Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui: & hæc ipsa verba sæpiùs interdum repete.*

Ipsam meditationem in hæc tria puncta dispes-

dispesces. 1. Accusatio. 2. Examen. 3. Sententia.

Punctum primum.

Confidera, in illo ipso loco, in quo animam efflabis, in illo ipso cubili, in quo fortè sapiùs, seposito omni timore divini iudicii, gravissimè Deum offendisti, statim erigendum esse tremendum tribunal, è quo æternus iudex tuam causam summarissimè, in uno, & quidem brevissimò temporis momentò decisurus sit, in uno momento, ex quo tamen dependet æternitas. Ad hoc tribunal te citabunt tres accusatores. Primus erit dæmon: secundus erit tuus Angelus tutelarior. Tertius tua propria conscientia.

1. Aderit igitur dæmon, qui accuset, primus, qui in Apocalypsi c. 12. appellatur *accusator fratrum nostrorum*, qui accusabit illos ante conspectum Dei. Protrahet ille in lucem omnia illa peccata, quæ tu commisisti ipso instigante, ipsius instigationibus obediens: quin veris suis accusationibus admiscebit plures falsas, ex meris suspicionibus ortas, nam licèt sit perspicacissimo intellectu præditus, tamen hujus acie penetrare, & indubitatè cognoscere non potest secreta cordium, nec occultas animi intentiones: has accusationes coram Deo, qui est scrutator

H

COR.

cordium, intima quæque rimatur ac abstrusissima penetrat, facile quidem refellere poteris, sed quomodo illa delicta, nimis quàm vera excusare, negare, aut elevare poteris, quæ tibi ab hoc accusatore clarè sub oculos ponentur?

Sit igitur hoc tuum inconcussum animi propositum, impostero omnibus collectis viribus tam fortiter omnes illius retundendi assultus, & suggestiones, ut nihil in te culpæ, de quo te accuset, inveniat. Alterum esto, ut per sinceræ poenitentiae satisfactoria opera, lachrymas, vel etiam flagris ultoribus piè elicitem sanguinem, pejorum peccatorum scedas maculas omni conatu eluere studeas; sic enim veris hujus adversarii accusationibus poteris opponere has veras tuas satisfactiones, debitorum grandium expunctiones, & lytri ad abundantiam solutiones, divinæ justitiæ præstitas.

2. Ipsa tua conscientia insurget contra te, & fungetur officio Accusatoris, ac testis fidelis omni exceptione majoris, ita ait S. Paulus ad Rom. c. 2. *testimonium reddente illis conscientia ipsorum inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Et en te ipsum coactum ad rati habendas ejusmodi accusationes, sive depositiones, contra te ipsum factas, ita ut in hoc tribunali justitiæ, rei, accusatoris simul & testis officio tibi fungendum sit, eo ferè modo, quo tibi in

tri-

tribunali clementiæ, in Sacramento Pœnitentiæ, triplex hoc officium sustinendum est.

Conscientia erit liber ille, in quo omnes iniquitates tuæ descriptæ, & diligenter & distinctè annotatæ legentur, liber, *in quo totum continetur*, contra cuius valorem, aut auctoritatem opponi non poterit ulla exceptio legitima. Cura igitur, ut imposte- rum diligentius auscultes vocem monentis, vellatratus remordentis conscientiæ, ejusque ductum, dum adhuc in via es & hoc comite ad tribunal inexorabile æterni iudicis magnis passibus properas; ut non necesse habeat te accusare, quin te possis excusare: *Esto confitens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, & iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Matth. c. 5.*

3. Ipse Angelus tuus custos erit & accusator, & testis; contra te testabitur, quòd suis paternis consiliis, & internis instinctibus sæpiùs neglectis, & surda aure præteritis, discolorum ac pravorum sociorum invitationibus te facilem & obedientem præbueris, impiger ad currendam viam iniquitatis, assiduus in frequentandis periculosis, & perniciosis conventiculis: addet angelus amarâ exprobrationem, & dicet: cum igitur spem & fiduciam tuam posueris in his pessimis consiliariis tuis, ito jam consilium & opem ab ipsis pete: *Surgant & opitulentur vo-*

bis, & in necessitate vos protegant. Deuter.
c. 32.

Qua fronte tunc poteris excipere tam
falsas, veras tamen & justas exprobrationes
ab eo tibi factas, qui tibi semper amicus ad-
dictissimus, & fidelissimus fuit? an non ad
has voces ceu fulmine afflatus obrigesces?
Conclude igitur tecum, eo animo & affectu
Angeli tui custodis te amplexurum & imple-
turum consilia, quo ille tibi hæc imposte-
rum suggererit, ut tuus coram illo tribunali
tremendo sit advocatus, non minus elo-
quens & strenuus, quàm fuerit custos, &
protector fidus, ac pius erga te suum clien-
tem per totius vitæ decursum. Venerare
& reverere tuum tutelarem Angelum, me-
mineris, eum tibi ubique esse præsentem,
ubique hæere lateri, atque adeò, ut S. Bern.
in Psalmum 90. monet, *in quovis angulo An-
gelo tuo reverentiam habe.* Nunquam in ejus
conspectu ullum committe peccatum, ne te
coram divino tribunali accusare cogatur,
aut possit. Demississimè veniam pete,
tibi que ignosci roga, tot titulis debita
gratitudinis, & reverentiæ neglectum; me-
liora sponde imposterum, & hujus neglectus
uberem compensationem.

Punctum secundum.

Considera examen, quod contra te in hoc
tremendo iudicio instituetur. In hoc occur-
rent

rent tria notatu dignissima, quæ nunquam concurrunt in ullo iudicio, quando in foro criminali discutitur causa rei alicujus, sive delinquentis; videlicet 1. universalitas ad omnes 2. rigor districtim & distinctè se ad minutissimas etiam culpas extendens. 3. Evidentia criminum.

1. Examen, cui coram Deo iudice subiicièris, erit universale, quia de quovis delicto accusaberis, & rationem reddere debebis, sive sint peccata commissionis, sive omissionis: sive sint peccata oris, sive operis, sive sint solummodò interna, sive etiam externa; licet de illis in nullo foro aliàs iudicetur, præterquam in hoc divino. Computemus solas cogitationes; heu quot intra unius horæ spatium mentem transvolant, quot intra spatium diei, septimanæ, mensis, & anni integri? quot myriades, & myriadum myriades per totius vitæ longævæ decursum! cogitationes superbæ, vanæ gloriæ, invidiæ, iracundiæ, vindicativæ, avariæ, gulosæ, impuræ! cogitationes, quas quidem innoxie, & sine ullo inquinamento mentem transcurrisse tibi temerè persuades, eò quòd peccatum opere externo non consummaveris; nec advertis, quòd in eiusmodi cogitationibus repellendis fueris oppidò deses; quòd forte cogitationi adjuncta fuerit morosa delectatio, si non omnino consensus aliquis voluntarius. Quòd autem, quæ animo pessimè designaveras, executioni non

dederis, fors non ex defectu voluntatis, sed ex defectu facultatis, & commodæ occasionis contigit. Fortè coram Divino iudice tam innocens non invenièris, quàm innocentem te esse in examinibus tuis, quæ sacris confessionibus præmittere soles, tu tibi metipsi blandiris, vel saltem qualem te fingis coram superioribus tuis, vel etiam coram conscientia tuæ arbitris, quibus in sacro Pœnitentiæ tribunali totum cor & huius intima quæque pandere deberes.

Tunc enim verò aliter senties de rebus huius vitæ, & magni momenti esse iudicabis, quod modo pro levi & inani nimis timidæ mentis scrupulo habes, & contemnis, velut jocum, velut culpam exilem, & vix aptam pro sacro tribunali materiam abjicies. Ad claram lucem, quam tibi tunc divina Christi Sapiencia accendet, videbis quàm magni & graves sint defectus illi, quos hæcenus vilipendebas, & inter festivos jocos numerabas. Verba, quæ in sacro tribunali otiosa vocabas, agnosces fuisse verba impura, quæ vocabas impura, advertes, fuisse scandalosa; illa quæ nominabas verba inconsiderata, advertes, fuisse meras murmurationes.

Tunc patebit, quàm deformia sint omnia illa opera prava, quæ tibi olim videbantur gloriosa, laude & encomio digna: ostendent se tunc omissiones culpabiles variæ, quæ hucusque oculorum tuorum aciem sub-

ter-

terfugerant; ex harum numero erunt, quòd neglexeris corrigere proximum tuum, ad quod te specialiter obstringebat status Ecclesiasticus; quòd omiseris pauperibus elemosynas erogare ex superfluis tuo statui, specialiter ex iis proventibus Ecclesiasticis, tibi abundanter affluentibus: quòd omiseris gregem, tibi à Christo concreditum, pascere exemplò, verbò divino, & administratione Sacramentorum.

Nec tibi persuadeas, solummodò peccata à te ipso perpetrata in iudicium adducenda; augebunt cumulum peccatorum tuorum etiam peccata aliena, quorum te reum & participem fecisti, vel hæc non impediendò, uti debuisses, & facile potuisses auctoritate tuâ Ecclesiasticâ; vel hæc etiam promovendò tuo exemplo, tuo consilio. Unica cantilena ingenioso venereorum salium venenò condita, à te composita, vel in lucem protrusa, vel non oppressa, quot malorum & peccatorum te reum non facit? tu tamen te de uno solo peccato accusas, si tamen te accusas; & in hoc factò unum tantum peccatum agnoscis, cum interim coram divinis oculis computetur pro peccatis centenis & millenis, dum variorum ac plurimorum lectorum pervolitans manus, omnium animos lethaliter inficit, & inquinat. Unica detractio, qua alterius bonam famam denigrasti, dum de lingua in linguam, de aure in aurem transit, & sic totam urbem vel viciniam

niam pervagatur, heu quot aliarum detractio-
tionum fuit scæ unda parens? ô quàm longa
catena culparum inter se connexarum appa-
rebit, ubi tamen credebatur latere unam, &
hanc non gravem: aperies tunc oculos,
quos hactenus semper clausos tenebas, ne
propriam turpitudinem videre cogereris:

Ah! noli differre horum apertionem tam-
diu, donec cognitio tuarum miseriarum tibi
ad animæ tuæ salutem jam nihil amplius
conferre possit; sed ad pedes crucifixi Sal-
vatoris prostratus, fateri & detestare cœci-
tatem tuam, qui modò est ipsa clementia;
& tunc erit ipsa justitia; ipsique promitte se-
riam emendationem.

2. Nec putes, graviora tantùm delicta
tua judici esse proponenda; producentur eti-
am culpæ minutissimæ quæque: ratio stric-
tissima reddenda erit non tantùm de verbis
inhonestis, scurrilibus, contumeliosis, mor-
dacibus &c.; sed etiam de verbo omni otioso,
& inutili: *de omni verbo otioso reddent rationem in
die judicii.* Matth. c. 12.

In tribunalibus hominum ad minutias ju-
dex nunquam attendit; nimio enim fatiga-
retur labore: *de minimis non curat Prætor.* Ve-
rùm in tribunali, ubi judex nunquam fatiga-
tur, culpa nulla tam exigua, tam minuta
est, quæ non judicio subjiciatur, ipsa opera
alioquin bona, & sancta, ad lapidem lydium
probabuntur, & examinabuntur, ut Dominus
nos

nos per Davidem Ps. 74. præmonet: *Ego iustitias iudicabo.*

Inquiretur, & ratio petetur, cur præscriptum precum Canoniarum pensum diurnum toties tam tepidè, tam distractò ad alia animò, omni ordine, & statuto aliàs tempore sine causa neglecto, deproperaveris; cur toties sine omni prævia dispositione animi tremendum sacrificium DEO ad aram obtuleris; cur sacras confessiones tuas sine contriti cordis teneritudine, & firmo vitam in meliùs mutandi proposito, obiter & perfunctoriè peregeris? an non elemosynas distribueris Phariseorum ritu, ut vanam emeris apud homines gloriolæ auram? an non potiùs lucrum captandi, quàm animam salvandi gratiâ moribundis adstitisti? comitatus es, vel duxisti publicas supplicantium processiones; sed quâ modestiâ & fervore? adfuisi mortuis sepulchro inferendis; sed quem in finem? administrasti petentibus Sacramenta, sed quomodo? inter tot bona opera à te patrata an vel unum unicuique reperire erit, quod sit purum, ab omni tabe & labe defæcatum, & non saltem ex aliqua parte infectum, aliquâ maculâ aspersum, à vermiculò latentis amoris proprii, vanæ gloriolæ, propriæ complacentiæ, humani respectûs arrosam? Ut arbor non succidatur, & in ignem conjiciatur, non sufficit, dummodò fructus producat intuitu, & externa specie bellos: bonitatem menti-

Fi s

entes

entes instar pomorum Sodomiticorum, si interius omni succo, sapore & nucleo, & pulpâ destituti, os gustantis cinere vel pulvere vermium, nucleos corrodentium scabe cum nausea impleant.

Tu tanti æstimas opera tua bona, quæ tibi facere videris non pauca, sed Deus hæc parvi faciet, vel omnino condemnet, qui hæc videt undique plena defectibus, & imperfectionibus, imò hæc ipsa tibi objiciet, & exprobrabit tanquam novum ingratitude, & tepiditatis tuæ argumentum? Quid respondes interroganti, cur tot inter occasiones optimas facile proficiendi in virtutibus, nunquam tamen è tua tepiditate emerferis, aut frigus cordis tui discussis? quid dices? ubi conspexeris integrum cumulum beneficiorum, donorum & gratiarum tibi à Deo concessarum, quibus ignavè usus, vel potius omnino abusus es? *quid sum miser tunc dicturus.*

Ne cadas animò, sed propone seriò, quòd impostertum te Deo tuo ob sua tibi collata beneficia innumera magis gratum exhibiturus, & longè majori fervore, accuratione, attentione, & intentione functiones tuas Ecclesiasticas omnes peracturus sis, ut à supremo iudice in illo rigido tribunali non pœnam timere debeas, sed mercedem ac præmium jure expectare possis.

3. Probationes tuorum delictorum non aliunde, sed à te ipso sumentur, nam loco
omni;

omnium probationum erit lux clarissima à Deo tibi infusa, quæ animæ tuæ deteget omnia tua peccata, ita ut ne unum quidem, etsi minutissimum, & altâ oblivione pridem sepultum, maneat occultum. Si in locis abditis, & angulis domûs aliquid deperdatur, accensâ etiam lucernâ lustrantur & excutiuntur omnia, quin tota domus everratur, donec inveniatur: hoc ipsum observat Deus in rigido iudicio suo: accendet in anima tua tam clarum lumen, ut omnia, etiam minima, & arcanissima quæque non aliter, quàm minutissimæ atomi, per aërem circumvolitantes, ubi solis radii in cubiculum penetrant, distinctè dispiciantur: ita prædicit: *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Soph. c. 1.

Enimverò ad probationem tam claram siderata, & sui impos adstabit anima evidenter convicta. O quanto desiderio rediret in hunc orbem ad redordiendam denuo telam vitæ, tam malè ac luridè textam! Nunc, nunc tempus non solum sufficiens, sed etiam superabundans ad manus habes, quo te tantæ confusioni subtrahere facillè potes, si iudicem supremum prævenire, & tui ipsius severus, & minimè indulgens iudex esse, te ipsum ad districtum & accuratum examen sæpius, ac quotidie vocare, iudicare, & deprehensis nævis, ad justam pœnam, feriam pœnitentiam, & vitæ emendationem irrevocabili sententiâ condemnare velis. Amplectere consilium S. Petri Chrysologi, si
qui-

quidem rigorem horrendum divini iudicii cupias evitare, ita suadentis: *ne judicemur, iudices nostri simus.* Serm. 167. addit causam ex divo Augustino desumptam: *amat enim Deus confitentibus parcere, & eos, qui se ipsos iudicant, non iudicare;* juxta illud Apostoli I. ad Cor. c. II. *Si nosmetipsos dijudicavimus, non utique iudicavimus.*

Punctum tertium.

Considera sententiam, quæ in hoc tribunali feretur, æquissimam, à qua ad aliud tribunal nulla detur appellatio, & celerrimam sine omni mora, interposita dilatione aut mitigatione executionem.

I. Si quis ex numero Ecclesiasticorum tunc à Christo inventus fuerit suo officio defuisse, & se ministrum Dei exhibuisse indignum, hoc terribili tonitru oris sui eum percutiet & consternabit Christus iudex: *Discede à me maledicte in ignem æternum.* Discede, procul hinc, serve nequam, intolerabilis jam mihi est tua præsentia: procul esto à Deo, principio tuo primo, & unicâ tuâ beatitudine: procul à cœlesti Beatorum patria; quam neglexisti, contempsisti: procul, procul esto, æternus exul, in æterno miserrimo exilio. *Discede à me maledicte: maledictus in corpore, maledictus in omnibus animæ facultatibus; maledictus in intellectu,*
quem

quem vermi illi immortalis in prædam cessisti; maledictus in voluntate, quam æternæ, nunquam finiendæ desperationi mancipasti: maledictus quoad locum, maledictus quoad tempus, maledictus quoad æternitatem, & in perpetuas æternitates: I, discede in ignem æternum, in quem te præcipita pondus gravissimum tuorum peccatorum. Hæc est sors & pars hæreditatis tuæ, quam elegisti, accipe hanc, & frui illâ in æternum: relinquo, & desero te in omnibus dæmonum potestatis; hi cum fuerint semper tui amici, & familiares socii in terra, sint impostherum semper tui carnifices in inferno.

Ad tam horrendum fulmen, ô peccator, qualis & quantus pavor! quantus horror & tremor! quantus furor! quæ rabies desperatissima! maledicet & ipse voluptates, quas tam ardentè & cœcè adamaverat; beneficia Ecclesiastica, quæ modis & artibus illicitis indeptus est; redditus Ecclesiasticos, quibus ditavit nepotes, cognatos, vel affines; & quidquid ejus æternam damnationem promovit.

E diverso Ecclesiasticus, qui mensuram nominis & officii sui, strenuè, & ex omni parte implevit, cum audierit decretoriâ divini iudicis sententiâ: *Venite Benedicti*, se ad percipiendam debitam mercedem vocari, ad æternam beatitudinem, ad perennem gloriam invitari, ô quantô solatiô perfundet! quàm vasto & liquido innatabit gaudio.

diorum mari! o quàm lætô animô benedicet constantiam, qua invictus perstitit, & perseveravit usque ad finem, in obsequio, & servitio Divino; labores impensos, sudores sparsos ut suum adimpleret officium: optatè factum, dicet, quòd libertati, & cupiditatibus meis non nimis frænula laxaverim; quòd me vitæ nimis liberæ, vanæ ac dissolutæ non dederim, quòd me tamen libertinorum crebræ invitationes, & exempla trahebant. Benedicet suam vitam solitariam, à turbis sæcularibus, à periculosis conversationibus fugam, vitam pœnitentem, & optimi exempli, quam videt in æternum jam converti solatium.

Nunc tecum discute, quam ex his duabus decretoriis sententiis à divino iudice expectare, & tibi promittere possis: hoc facillè colliges ex modo vivendi, quem modò tenes: si ex hoc concludere cogaris, primam, ac reproborum sententiam tuo capiti imminere, & timendam esse, gratias age ingentes optimo DEO, quòd sufficiens tibi tempus concedat ad emendandum errorem, ut per pœnitentiam, vitamque meliorem imposterum instituendam, merearis secundam, id est meliorem sententiam; horrorem tibi incutiat præsentaneum periculum amittendæ per sententiam iusti iudicis æternæ salutis, cui toties te hæctenus exposuisti: & tibi præfige talem posthac vivendi methodum, ut in ultimo vitæ momento

mento, & mortis puncto, stans ante tribunal
divinum, audire possis mille benedictiones,
& nec unam maledictionem; lætum pœana:
venite benedicti: & non funestum epicedium:
Discedite à me maledicti, quo, ut æternùm de-
plorareris, toties dignum te reddideras.

2. Sententiam vix integrè prolatam in-
stantanea sequetur executio. Mox anima
peccatrix spoliabitur gratiis, & donis omni-
bus supernaturalibus, post peccatum ad-
huc residuis; qualia sunt habitus fidei & spei,
omnes gratiæ, quas vocant gratis datas:
exuetur insuper habitibus virtutum morali-
um, & politicarum, tempore hujus vitæ
acquisitarum, remanentibus ad majus pro-
brum & tormentum, solis tribus caracte-
ribus, quos ipsi impresserunt indelebiles bap-
tismus, confirmatio, & sacri Ordines, *denu-
dabunt te vestimentis tuis . . . & dimittent te nudam,*
& ignominia plenam. Ezech. c. 23.

Pone tibi ob mentis oculos sacerdotem,
hoc ipso nomine indignum, ob enormia sua
scelera tamen dignissimum, qui vivus com-
buratur; hic ab Episcopo, priusquàm sæcu-
lari brachio tradatur, omnibus sacris vesti-
bus, quibus indutus huic iudici Ecclesiasti-
co sedenti pro tribunali sistitur, singulatim
exuitur, probrosè denudatur, erasò ex co-
rona capitis, & inunctis digitis sacro, quod
imbiberant, oleò, de gradu sacerdotali de-
turbatur, & impactâ in tergo calce, in
satellitum, & carnificum manus ignominio-
se

se protruditur. Huic non absimilem scenam adornabit Christus; qui à D. Petro Ep. i. c. 2. vocatur *Pastor & Episcopus animarum*; quando iudex pro tribunali sedens, animam peccatricem dignitatis suæ gradu motam, in æternæ ignominie infimam abyssum præcipitabit; tollet ipse cingulum fidei, stolam spei, amiculum suæ protectionis, & ita derelictam ab omnibus, etiam suò Angelò tutelari destitutam, cum perpetua infamia & ignominia, inexplicabili pudore obrutam, in manus cruentas infernalis inimici conjiciet; qui eam in profundum orci barathrum demerget, ut inter æterna tormenta mortem vivat æternam.

Huc evadit vita illorum Ecclesiasticorum, qui tot gratis, donis, & prærogativis à Deo præ aliis ornati, his vel non utuntur, vel in propriam perniciem, & majorem pœnam pessimè abutuntur. O quàm horrendum spectaculum, Dei minister in manibus dæmonum, qui illum secum in infernum abripiunt! sola imaginaria repræsentatio hujus tragediæ tibi meritò horrorem incutit, ah! quid foret, si tu ipse in hac actor fores? si cum hac tristissima catastrophe tuam vitam finire?

Forsitan hunc salutarem timorem incutendò, pluribus peccatoribus salutem fuisse; forsitan plures oviculas à salutis semita longissime aberrantes hoc medio lupi infernalis dentibus creptas, ad caulam, ad cœlum redu,

reduxisti; & quod aliis præstitisti, non præstabis tibi metipsum?

Ora & obsecra tuum judicem nunc, cum adhuc fungitur officio Advocati, per pretiosissimum sanguinem, quem pro te fudit in monte Calvariae, ne te sinat perire æternum; & clama ad illum: Domine JESU Christe Fili DEI vivi, pone Passionem, crucem & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam nunc & in hora mortis meae, & mihi lagiri digneris gratiam & misericordiam, ac denique vitam & gloriam sempiternam. Amen.

Dies quarta

Meditatio septima.

De judicio universali.

Post orationem præparatoriam præmittes Meditationi sequentia duo præludia.

Primum esto, ut tibi imagineris, pandi tibi in valle Josaphat amplissimum, & vastissimum amphitheatrum, in cujus sublimissima parte conspiciendus sit Christus Regis instar in alto, splendido, & Majestatis pleno solio sedens; ad ejus dexteram assistat beatissima Virgo, instar Reginae; thronum cingant tota curia coelestis,

I

Ange-